



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Theoderici Regis Qvondam Ostrogothorum & Italiæ**

**Cochlaeus, Johannes**

**Ingolstadii, 1544**

**VD16 C 4410**

De Beneficentia Et Stvdio Theoderici erga urbem Romam Cap. VII

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb00004354-8**

putauerim q̄ concedere tertiam partem agrorū Gothiis. Tū  
q̄ Italiae regnum Theodericus, nō Italarum, sed Gothorum  
maximo labore periculoq; & cruore comparatum obtinue  
rit, quod & per Gothorum arma perpetuo defenderit. Quæ  
est ergo iniquitas ibi q̄ nō totum (quod iure belli potuisset)  
nec dimidium totius agri, sed solam tertiam agrorum partē  
ā uictis & defensis transtulit in uictores & perpetuos omnium  
Incolarum & prouinciarum defensores?

Rectius igitur in beneficiū adscribitur factum istud Theo  
derico à Blondo, qui in eius beneficiorum cōmemoratione  
inter cætera sic ait. Prohibuit aut edicto, & curam impendit  
attentiosem, ne quis Romanos aut paterna origine Italus, ne  
dum militaret, sed arma domi haberet. Saionibus (ut ipse ap  
pellauit) ex Ostrogotha gente per urbem regionesq; Italiae  
constitutis, qui prefectorū Centarionunq; uitæ fungentes,  
barbaros suos in pace & ocio, à ciuium & prouincialium in  
iuria prohiberent, educerentq; in turmas & Phalanges, cum  
belli aut tumultus ratio postulare, simili item pietate usus est  
erga uniuerfas Italiae urbes. Hæc Blondus, qui pietatem uo  
cat, quod aliqui calumniose in culpam trahunt.

*DE BENEFICENTIA ET STV.  
dio Theoderici erga urbem Romam Cap. VII*

**I**dem præterea Blondus Catalogum quendam recitat be  
neficiorum, quæ idē rex singulari studio in urbem Roma  
nam contulit, sic dicens. Theodericus Ostrogothorum rex,  
licet Rauennæ sedem habuerit, amauit tamē ornauitq; urbē  
Romā, et multa publice prouidit, ac neglecte instaurations,  
supra fidem eorum qui barbarū fuisse meminere, maximā  
suscepit curam. Quod qui à fideli & à copiosissimo teste  
Fi iij uoluerit

Verba Bl  
di.

uoluerit certius intelligere, legat Cassiodori, eius Epistolarū  
scriptores, uariarum libros. In quibus uidebit ipsum regem  
religionis Christianæ, sacrorum locorum, Cerimoniarūq;  
et Pontificum Romanorum dignitatis curam gessisse, Sena-  
tui sæpe numero cōmendauit loca urbis, cum sacra, tum etiā  
à maioribus summis uiris, Reipub. & imperij fundato-  
ribus frequētata, præfectos, architectosq; instituit, sacris ædi-  
bus, Capitolio, Palatio, Thermis, Theatro, Cloacis, Aquæ  
ductibus, & cuiusq; officij officinis, in priscam formam, mes-  
liorem ue instaurandis. Præfecit uigiles, qui curam diu no-  
ctūq; susciperent, ne urbis ornamenta, statuæ, et ingeniorum  
monumenta, ex ære aut marmore excisa, asportarentur. Se-  
pulcrum Augusti in Valle Martia, Tyberim inter & uiam  
flaminiam, instaurari curauit. Et Amphitheatrū, quod iam ma-  
iori ex parte corruerat, saxa loco moueri, nisi in solam muro-  
rum urbis instauratorem prohibuit.

**Edictum de  
statuis non  
auferendis.**

Statuas principum æneas aut marmoreas, æquefres pe-  
destresq; nominatim multas, & generali Edicto omnes iussit  
conseruari, adhiberiq; curam, ne illæ interirent, quibus fides  
posteris assereretur, uiros fuisse præstantissimos, uirtuti ma-  
gis q̄ fortunæ innisos, per quos in id magnitudinis Roma-  
na res creuit, Legesq; & instituta seruari, malos ciuitatis mo-  
res à sanctioribus corrigi, omnia deniq; excepta militari di-  
sciplina, ad uetustā ciuitatis, quā primus Reipub. oppressor  
Cæsar substulit, formam redigi optauit, Spectacula proprijs  
sui fisci pecunijs, ex uetusto more edi, et alia munera publica  
exhiberi uoluit. Et cum aurū argentumue in nummos sig-  
nari suis temporibus oporteret, nullum ipse signum aliud q̄  
prius, stante Reipub. consuetum cudi est passus. Ut autem  
ciues uel nouerigendis, uel instaurandis uetustioribus ædi-  
ficijs, maiorem haberent cōmoditatem, Calcarias in quibus  
dam Italiae Insulis fieri curauit, calcæq; postmodum ciuibus,  
quorum

quorum principia ædificiorum cernerentur, sine præcio esse largitus. Hactenus Blondus. Cui haud dissimilia refert Sabellicus.

Scribunt nonnulli Theodericum, statim post interfectum Odoacrem, Romam profectum fuisse, Cassiodorus autem septimo post anno, Patritio & Hypatio, COSS. ait eum Romam, cunctorum uotis expetitum, aduenisse, et senatum suum mira affabilitate tractasse, Romanæ plebi dedisse annonas, atque admirandis manibus deputata per annos singulos maxima pecuniæ quantitate subuenisse. Sub cuius felici imperio plurimæ renouatæ sint urbes, munitissima condita castella, admiranda consurrexisse palatia, magnisque operibus antiqua superata esse miracula. Hæc de Theoderico Cassiodorus in libello de Consulibus.

In libris autem Epistolarum complures recitat Theoderici epistolas et rescripta, quæ uarijs modis regis erga urbem Romanam beneficentiam explicant. Ex quibus paucas exempli & declarationis gratia recensebimus. Quarum una est ad Albinum & Albienum uiros insignes atque Patritios.

Licet (inquit) inter gloriosæ Reipublicæ, curas & regalium sollicitudinum salutiferos fructus pars minima uideatur, principem de spectaculis loqui, Tamen pro amore Reipublicæ Romanæ, non pigebit, has quoque cogitationes intrare, quia uideamus præstare possumus, dignum nostris sensibus æstimamus, præsertim cum beatitudo sit temporum lætitiæ populorum. Illud enim propiciante Deo labores nostros asserit, quod se ociosam Generalitas cognoscit. Partis itaque Prasini insinuatione comperimus, quoniam hoc introductum est, ut populi de colore uocentur, seditiones turbulentæ à quibusdam sceleratissimis incitari, & causam lætitiæ publicæ ad furoris certamina prorupisse, quod utique gaudij decoram non potest habere qualitatem, si pacem non meruerit possidere communem.

Et

Verba Cassiodori de beneficijs Theo. erga Ro. populū

Verba Theod. de pace in spectaculis.

Pontonalis  
mus.

Et ideo dignum est, clementiam nostrā has partes quoque aspi-  
cere, ut ubique possit morum probitas elucere cōuocatis ergo  
spectatoribus, de Helladia & Theodoro, qui letitiae publicae  
aptior fuerit aestimatus, populi confusione sublata, constitua-  
tur à uobis Prasini pantomimus, quatenus sumptum, quem  
prospectaculo ciuitatis impendimus, electis contulisse uidea-  
mur. Hanc partem musicae disciplinae mutam nominauere  
maiores, scilicet quae ore clauso manibus loquitur, & quibus  
dam gestulationibus facit intelligi, quod uix narrante  
lingua aut scripturae textu possit agnosci. Haec Rex ad illu-  
stres uiros illos.

Conseruare  
in uigore  
ueterū stru-  
cturas.

Portus si-  
cini.

Et rursus ad Sabinianum, uirum sublimem, Nil prodest  
(inquit) initiari solidare, si ualebit presumptio, ordinata des-  
truiere. Illa sunt ne robusta, illa diuina, quae prudentia in-  
cipit, & cura custodit. Atque ideo non minor in conseruandis  
rebus quam in inueniendis adhibenda cautela est. Quia de initis  
predicatio debetur inuento, de custoditis autem acquiritur lau-  
data perfectio. Dudum siquidem propter Romae moenia ci-  
uitatis, ubi studium nobis semper impendere infatigabilis  
ambitus erit, portum Sicini deputatis redditibus reperari ius-  
sio nostra constituit, ut XXV. Milia tegularum, annua il-  
lacione praestaret. Simul etiam portubus iunctis, qui ad illa  
loca antiquitus pertinebant, & nunc diuersorum usurpatione  
suggeruntur inuasi, Cuncta ergo ad statutam praestationem  
facies sine dilatione reuocari. Quia licet nostra iussa pro sua  
reuerentia in nulla uiolanda sint. Eo tamen custodiri uolumus  
maxime, quae urbis faciem uidentur ornare. Quis n. dubitet  
Fabricarum miracula hac prouisione seruata, & pendenti  
saxo formatas cameras tegularum regimine custoditas: Ut  
antiqui Principes nobis merito debeant suas laudes, quorum  
fabricis dedimus longissimam iuuentutem: Ut pristina noui-  
tate reluceant, quae iam fuerant ueterosa senectute fulcata.

Item

Item ad Agapitum, uirum Illustrē præfectum urbis, Exi-  
miæ (inquit) urbis præfulem, pacis conuenit esse custodē.  
Nam à quo melius moderatio debet sperari, quæ cui potuit Ro-  
ma committi? Illa n. mater omnium dignitatum, uiros sibi gau-  
det præsidere uirtutum. Et ideo circumspicere te decet, ne qua  
in spectaculis seditionum causa nascatur, quia tuum præconiū  
est populus quietus, sit insultandi consuetudo moderata, ut  
ne libertate pereat honesta licentia, nec desit moribus, disciplina.

Literarum quoque studium Romæ precipue uigere uoluit, &  
eo mitti curauit nobilium filios studiorum causa, etiā ex Sy-  
racusa & alijs longe positis ciuitatibus, sicut patet ex eius ad  
Festum Patritium Epistola. Vbi inter cætera sic ait, Nulli sit  
ingrata Roma, quæ dici non potest aliena. Illa eloquentiæ  
fecunda mater, illa uirtutum omnium latissimum templum.  
Multo igitur benignior erga Romam fuit Theodericus, quæ  
fuerat Odoacer, qui tanta dominatus est superbia, ut Romam  
intenderit, mutato nomine, Odoacriam uocitare, Theodericus  
autem maxime studuit, Romam in pristinum decus reuocare.  
Vnde & Soræ Comiti scripsit, ut marmorum quadratos, qui  
passim diruti negligebantur, in fabricam murorum faceret  
deputari, ut rediret in decorem publicum prisca constructio.  
Ipse præterea magnam pro Romanis fabricis deputauit pec-  
cuniam, sicut liquet ex eius Epistola ad Arthemidorum præ-  
fectum urbis.

Quanti autem fecerit eam dignitatem, nempe urbis præfectu-  
ram, multis sane declarat Epistolis ad complures Illustrēs ui-  
ros, quos diuersis temporibus illo sublimauit honore, quem  
certe in magnum & insigne reputabat beneficium. Vnde &  
in ordine dignitatum (quarum permulta genera in sua Rep-  
more præscorum imperatorum habuit) Quartum præfecturæ  
urbanæ locum deputauit. Primum uero locum obtinebat Cō-  
sulatus, secundum Patritatus, Tertium præfectura Prætorij.

Gg Tantum

Libertas  
uerborum in  
spectaculis.

Studium li-  
terarum Ro-  
mæ sub  
The. uiguit.

ab  
epi  
m  
ab

Præfectura  
urbis Quar-  
ta in ordine  
dignitatum.

sub  
m

Tantum itaq; & honoris & studij Romanæ impendit urbi  
exornande, ut multo plus in eam contulerit q̄ plarig fecerūt  
Imperatores antiqui, qui se Patres Patriæ dici gaudebāt.

Instauratio  
Cloacarum  
Romæ.

Plinius lib.  
6. c. 15.

Ipsæ ueteres instaurauit Cloacas. De quibus ita scripsit ad  
Argolicum urbis præfectum, Videas illic fluuios, quasi mons-  
tibus concavis clausos, per ingentia signa decurrere. Videas  
structis nauibus per aquas rapidas non minima sollicitudine  
nauigari, ne præcipitato torrenti marina possint naufragia susti-  
nere. Hinc Roma (inquit) singularis, quanta in te sit potest  
colligi magnitudo. Quæ n. urbium audeat tuis culminibus  
contendere, quando nec ima tua possunt similitudinem rea-  
perire. De quibus & Plinius admiratus est. Cloacas (inquit)  
operum omnium dictu maximum, suffossis montibus, atq;  
urbe pensili, subterq; nauigata. Id M. Agrippa fecit in ædili-  
tate, post Consulatum, per meatus corruatis Septem annis  
bus, cursu præcipiti torrentium modo, rapere atq; auferre om-  
nia coactis. Amplitudinem cauis eam fuisse proditur, ut ue-  
hem fenilarge onustam transmitteret. Hæc Plinius.

Aquæ du-  
ctuum repa-  
ratio.

Qui & de Aquæ ductibus ibidem ualde miranda refert,  
De quorum sane reparatione maxime, sollicitus fuit Rex  
Thodericus, sicut ex ea conijcere licet Epistola, quam de his  
ad senatum scripsit, cuius hoc est initium, Quamuis uniuersa  
se Reipub. nostre infatigabilem curam desideremus impen-  
dere, & Deo fauente, ad statū pristinum studeamus cuncta  
reuocare, tamen Romanæ ciuitatis sollicitiora nos augmē-  
ta constringunt, ubi quicquid decoris impenditur, generali-  
bus gaudijs exhibetur. Et adhuc clarius de illis differit in for-  
mula Comitium formarum urbis (Aquæ ductus n. formas  
uocat) quibus peculiarem deputauit Magistratū. Ad quem  
scribens sic ait, Quamuis Romulæ fabricæ, collatæ sibi, uix  
possint præcipuæ reperiri, Quia totū admiratione noscitur  
exquisitum, quod ibi cernitur esse fundatū, Tamen interesse  
arbitramur

Comitia  
formarum.

arbitramur

arbitramur, quod utilitas necessaria gratificat, & quod pul-  
chritudinis tantum causa comendat. Traiani forum uel sub  
assiduitate uidere miraculum est. Capitolia celsa conscendere,  
hoc est humana ingenia superata uidisse. Sed nunquid per  
ea uiuitur, aut corporis salus aliqua inde delectatione recrea-  
tur? In formis autem Romanis utrumque praeceptum est, ut fa-  
brica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis.

Non solum autem suis impensis reperari fecit, muros, fa-  
bricas, Cloacas & Aquaeductus, uerum etiam aliunde con-  
duxit ingeniosos artifices, qui in aridis locis probe nossent  
puteos eltodere & aquarum uenas inuenire. Quemadmo-  
dum scripsit ad Apronianum, Comitem Priuatarum. Magis  
nitundinis (inquit) uestrae relatione comperimus, Aquilegium  
Romam uenisse de partibus Africanis, ubi ars ipsa pro lo-  
corum siccitate magno studio semper excolitur, qui aridis lo-  
cis aquas possit dare uernatiles, ut beneficio suo habitari faci-  
at loca, nimia sterilitate siccata. Hoc nobis fuisse gratum cog-  
nosce. Nam quamuis Romana ciuitas aquis abundet irriguis,  
sitque fontibus gaudens, & formarum inundatione ditissima,  
reperiuntur tamen plurima suburbana, quae hanc uideantur  
desyderare peritiam. Habeatur ergo & iste inter reliquarum  
artium magistras, nequid desyderabile putetur fuisse, quod  
sub nobis non potuerit Romana ciuitas continere.

Triticum praeterea aliunde Romam aduehi curauit, ut po-  
pulo Ro. nihil sub eo deesset. Sic n. scripsit ad Luirum Comi-  
tem. Cum pro incerti temporis euentu Romanas aedes ino-  
pia facie castigata pulsaret, & quamuis rara, tamen tam pul-  
chrae ciuitati uideretur esse foedissima, aequum iudicauimus,  
Hispaniae Triticeas illi copias exhibere, ut antiquum uectigal  
sub nobis foelicior Roma reciperet.

Constituit itaque praefectum annonae, ad quem scribens  
ait. Tui studij est, ut sacratissimae urbi praeparetur annona,  
Gg ij ubiq

Aquilegia  
seu aquilex  
qui aquas  
colligit.

Annonae  
procuratio  
pro Rom.  
popu.

Praefectus  
Annonae.



ubiq; redundet panis copia, & tam magnus populus tanq̄  
una mensa fatietur, per officinas pistorum cibosq; discurrens,  
pensum & mundiciam panis exigis, nec uile iudicas esse, un-  
de te possit Roma laudare, merito, quando gloria singularis  
est, illius ciuitatis affectus. Et ne quod agis, aliquid putetur  
extremum, carpentum præfecti urbis mixta glorificatione  
cōscendis. Tu illi in spectaculis coniunctissimus inueniris, ut  
plebs, quam industria tua faciat, in sui reuerentiam te honora-  
tum esse cognoscat. In fraudulentos igitur distringe, panis  
pondera æquus examinatore intēde, sollicitius auro p̄setur,  
unde à Quiritibus uiuitur, quia gratior nobis est lætitia lauē-  
tis populi Romani, quā copia præciosissimi metalli. Intuere  
certe quod loquimur. Quid habes melius quod optes, quam  
illius populi gratiam quærere, quā nos etiā cōstat optare?

Officium  
præfecti ui-  
gilum.

Constituit insuper uigiles urbis Romæ (sicut et Rauēnæ)  
quibus dedit præfectum, de cuius officio ita decreuit. Quā-  
uis nomen tuū ad ciuitatis te uigilias debeat excitare, ut pos-  
sis implere quod diceris, tamen prudentiæ nostræ solita cau-  
tela non desinit, nisi eos, quos ad agendum deligimus,  
ad parendū quoq; suauiter inuitemus. Quid est tibi pulchri-  
us, quā in illa urbe operam nauanter impendere, diligentia  
tuæ ubi tales testes uidentur assistere? Cautela quidem tua  
mox ut adhibita fuerit, per patritiorum & Consulū ora dis-  
scurrit. Custos Romanæ ciuitatis diceris, quando eam ab in-  
testino hoste defendis. Quapropter circa fures sollicitus esto.  
Eris securitas soporantium, munimē domorum, tutela clau-  
strorum, disculfor obscurus, arbiter silentiosus, cui fallere  
insidiantes fas est & decipere gloria, Actus tuus uenatio no-  
cturna est.

Tribunus  
uoluptatū.

Instituit item Tribunum uoluptatum, qui scænicis et in-  
honestis præesset personis, ne illarum turpitudine nimium re-  
laxaret aut infamaret morum disciplinam. Ait ergo Rex ad  
illum

illum Tribunal. Quamuis artes ludricæ honestis moribus  
sint remota, & Histrionum uita uaga, uideatur efferi posse  
licentiã, tamen moderatrix prouidet Antiquitas, ut in totis  
non effluerent, cū et ipsæ iudicem sustinerent. Administran-  
da est n. sub quadam disciplina exhibitio uoluptatum. Cum  
fama diminutis salua tua opinione uersare. Castitatem dili-  
ge, cui subiacent prostituta, ut magna laude dicatur, uirtutis  
bus studuit, qui uoluptatibus miscebatur. Optamus n. ut  
per ludicrã administrationē ad seriã peruenias dignitatē.

Deniq; de statu aeneis & marmoreis conseruandis in ur-  
be illeis, tantam adhibuit operam, ut comitem eius rei gratia  
Romæ constituerit, cuius dignitas dicebatur Comitua Ro-  
mana. Ad quem sane sic scripsit. Si clausis domibus ac mu-  
nitis insidiari solet nequissimū uotum, quanto magis in Ro-  
ciuitate uidetur illici, qui in plateis præciosum reperit quod  
possit auferri? Nam quidã populus copiosissimus statuarū,  
greges etiam abundantissimi equorum, tali sunt cautela ser-  
uandi, quali & cura uidentur affixi. Vbi si esset humanis res-  
bus ulla consideratio, Romanã pulchritudinem, nō uigiliã,  
sed sola deberet reuerentia custodire. Ibi sunt exposita, quæ  
facere potuerūt diuitiã generales & labor mundi. Quē inter  
ista deceat esse negligentem? Quis in causa tali patitur esse  
uenalis, quando grauissimum damnū potest fieri in pulchri-  
tudine singulari? Qua dere perindictionem istam, Comi-  
tiua Romanæ cū priuilegijs & iustis cōmodis suis tibi cō-  
cedimus dignitatem, ut fidei studio, magnoq; nisu, quæras  
improbis manus, & insidiantes aut priuatorum fortunis aut  
mœnibus, ad tuum facias uenire iudicium, & rei ueritate di-  
scussa, congruam subeant de legibus ultionem.

De his etiã ad præfectum urbis nō nihil scripsit, Roma-  
næ (inquit) fabricæ decus, peritū conuenit habere custodē,  
ut illa mirabilis sylvæ moeniū, diligētia subueniēte seruetur,

Gg ij & moderna

Comes. stat  
tuarum gra  
tia constitu  
tus.

Architect.  
pro fabricis  
& statuis  
Rom.

& moderna facies operis affabris dispositionibus construetur. Hoc n. studio largitas nostra concedit, ut & facta ueterum exclusis defectibus innouemus, & noua uetustatis gloria uestiamus. Proinde illustris Magnitudo tua Romanis arcibus ab ista indictione datum Architectum esse cognoscat. Et quia iustis comodis studia constat artium nutrienda, ad eum uolumus pertinere, quicquid decessores eius constat rationabiliter consecutos. Videbit profecto meliora quam legit, pulchriora quam cogitare potuit, statuas illas, auctorum suorum scilicet adhuc signa retinentes, Has primum Tusci in Italia inuenisse referuntur. Quas amplexa posteritas, pene parem populum urbi dedit, quam natura procreauit. Nunc igitur potest esse ueridicum, si uniuersa Roma dicatur esse miraculum.

*DE GRATIA ET HONORIFICENTIA Theoderici Regis erga senatum Ro. Cap. VIII.*

**Q**uam honorifice tractauerit Senatores Ro. rex iste, nemo explicatius aut certius referre potest quam retulit ipsemet per diuersa rescripta sua, quæ ubique grauitatem & honestatem, non leues blanditias aut subdolas palpationes, præferunt. Etenim in primo Cassiodori Epistolarum libro hisce uerbis senatum scripsit.

Querela plebis contra Senatores.

Animum nostrum, patres conscripti, Reipub. curis captentem, & diuersarum gentium consilia perferentem, pulsauit sepius querela populorum, orta quidem ex causis leuibus, sed graues eructauit excessus. Deplorat n. pro spectaculorum uoluptate, ad discriminis se ultima peruenisse, ut legum ratione calcata, desperate persequeretur innoxios seruilis furor armatus. Et quod illis humanitas nostra lætitiæ causa prestitit, in tristitiam audaciæ plectenda conuertit. Quod nos Clementiæ nostre solita prouisione comprimimus, ne paulatim *finendo*